

AK.251.20

IV  
Z c  
1681

# DIVINAS MATRIMONII ORIGINES

CONTRA  
EIVSDEM CONTEMTORES  
VINDICAT

V N A Q V E

VIRO PLVRIMVM REVERENDO CLARISSI-  
MO ATQVE DOCTISSIMO

## M. EPHRAIM GOTTHELF KOECHLY

FIDELISSIMO MERITISSIMO QVE IN NOVA AD DRESDAM  
VRBE VERBI DIVINI MINISTRO  
AMICO ET FAVTORI SVO QVAM MAXIME SVSPICIENDO

NVPTIAS

CVM VIRGINE NOBILISSIMA VIRTUTVMQVE ORNA-  
MENTIS CONSPICVA

## JOANNA CAROLINA

VIRI BEATE DEFUNCTI, NOBILISSIMI CLARISSIMI  
ATQVE DOCTISSIMI

## GEORGII ADAMI HERRMANNI

REIPVBCLICE QVONDAM DRESDENSIS QVEM VOCANT POLIGRA-  
PHI MERITISSIMI

FILIA TERTIO LOCO NATA

D. III. CALEND. MAII ANNO M DCC XLIII.  
FAVSTIS OMNIBVS CELEBRANTI

EX AMICITIAE LEGE GRATVLATVR

SEQVE

EIVS FAVORI INPOSTERVM QVOQVE CONTINVANDO

COMMENDAT

M. CHRISTOPHORVS KRETZSCHMARVS  
CRUCIANI CON.R

DRESDAE & LIPSIAE,

Apud FRIDERICVM HEKEL, 1743.



## TOTIVS OPVSCVL CONSPECTVS.

- §. 1. Occasio huius scriptioris.
- §. 2. Argumentum, quod pertractatur, nempe vindiciae Diuinae matrimonii originis contra sententiam, illud esse institutum humanum.
- §. 3. Ordinis est Deus amantisimus.
- §. 4. Variae eorum classes, qui Diuinam coniugii originem negarunt.
- §. 5. De Simone Mago, Saturnino Syro & Nicolaitis.
- §. 6. De Manichaeis.
- §. 7. De Taciano & Encratitatis.
- §. 8. De patribus, qui caelibatum matrimonio praetulerunt, vbi simil dicta Matth. XIX, II. 12. & I. Cor. VII. v. 7. 8. seqq. explicantur.
- §. 9. Sententia patrum Concilii Tridentini exponitur.
- §. 10. De Fanaticis & Encratitatis matrimonium cauillantibus.
- §. 11. De iis qui tantum civilem illud esse contractum contendunt.
- §. 12. Primum argumentum pro Diuinis matrimonii originibus ex Genes. I. 27. 28. II. 18. 21. seqq. coll. cum Matth. XIX. v. 4. - 9. profertur.
- §. 13. In statu integratatis matrimonium est institutum, proinde perperam a lapsu deriuatur.
- §. 14. In statu integrō homini matrimonium ad fines obtainendos fuit bonus & utile.
- §. 15. Ex prima institutione uxor marito est subiecta.
- §. 16. Ex eadem polygamia repudiatur.
- §. 17. Ex dictis allegatis tum diuertia non temere admittenda adstruitur, tum conscientiae matrimonium reicitur.
- §. 18. Secundum pro Diuina matrimonii origine argumentum ex Leuit. XVIII. petitur.
- §. 19. Tertium a Diuina circa illud directio ne defumitur.
- §. 20. Quartum a comparatione unionis mysticae cum matrimonio.
- §. 21. Quintum a principiis naturae insitum.
- §. 22. Sexto additur tum Iudacorum, tum genitium consensus.
- §. 23. Respondeatur ad primum aduersarii argumentum, quia sententia nostra errori det ansam illud inter Sacramen ta referendi.
- §. 24. Secundo loco Lutheri verba, daß der Eschstand ein weltlich Ding sei, vindicantur.
- §. 25. Tertio papatus reliquiae a coetu priori remouentur.

Tandem clausula & pia adduntur vota.



## Vir plurimum Reuerende,

**I**N sinu TECUM, faustis hodie ominibus cum HERMANNIA TVA nuptias celebrante, gaudeo, quin nimia elatus laetitia propemodum gestio. A pueritia mihi non in Cruciano minus nostro, quam in schola superiori, quae Lipsiae floret, in dies arctior TECUM intercessit amicitia, quae tandem, Noua Vrbe nos, publicis pro virili in uigilantes muneribus, ac nos inuicem, ad opus a Deo demandatum strenue peragendum, exstimum lantes, inter eosdem continentे parietes, in summam abiit animorum coniunctionem, ut idem velle idemque nolle, quod aiunt, varias munera, verbi TIBI ministri, quod ornas, mihiq[ue] scholastici, molestias mirum in modum emollirent. Tantum enim abest ut nonnullorum, qui sacris admoti muneribus, in puluere desudantes scholastico, alto contemnunt supercilium, inconsideratam approbaris arrogantiam, ut potius huic quoque muneri, quod teneros, quondam & coetui Christi propagando & Reipublicae suf- fulciendae inseruituros, producit educatque surculos, nisi maiorem, quam deprecantur ipsis, parem, tamen eximiae utilitatis causa, cum TVO, cui praees, statueris dignitatem laudemque. Qvam ob rem innumerabilia TVI in me fauoris testimonia per omne hoc tempus, quo coniunctio inter nos exsilit, in lucem edita, verbis describere haud valeo. Iniquus proinde forem in TE, nostramque amicitiam, nisi TVA molestias parerent mihi incommoda

A

ma-

maiores omnino, quam quidem mea mihi met ipsi conciliant, TVISque gaudiis me mutuus associaret amor, vt ex his communem perciperem laetitiam. Sed ita animato esse non sufficit mihi, nisi quoque publicos sinceri in TE animi testes producam, quorum partes in se praesens scriptionis genus, quamuis leue, TVOque conspectu fere indignum in se suscipere atque explere est iussum. TE serena id excepturum esse fronte, quaque minus arrident, arctis temporum limitibus, quibus teneor circumscriptus, beneuelle condonaturum, dubito nullus. Qvare, quid alii dicant, minus sum sollicitus: TIBI enim soli, TVISque gaudiis est destinatum, ideoque suscepimus, vt qualecunque arcti amicitiae vinculi, quod nos continet, publice exstet monumentum.

## §. 2.

Haud ita pridem cum exantlatis delassatus laboribus, virium leuamen in euolvendis, more mihi recepto, libellis quaererem, inopinato in viri CL. lucubrationes, quibus beati patris labores continuare constituit, sub titulo: *Fortsetzung des Staats, Cabinets, Erste Sammlung*, incidebam. Vix legendo exstari poteram, quia multa ibi, haud ex triuio petita, sed studiose conquisita eleganterque dicta deprehendebam. At non minor animum occupabat dolor, videntis, varia in hoc libro contineri, principiis religionis nostrae, ex sacra scriptura luculenter comprobatae, ac institutis adversa paternis. Heus! exclamabam: Annon hoc, quo viuimus, tempore, aliter fieri potest, quam vt viri eleganter docti infestis doctrinae nostrae sententiis sibi nomen parere quaerant? Certe & vir iste celeberrimus pressa a parente meritissimo vestigia in nonnullis deseruit, castra, nescio cuius, forsan C L. THOMASII, ex cuius loquitur ore, nimis studiose sectatus. Non vacat in omnia, quae tum notabam, excurrere, sed tantum in praesentia ad Cap. VIII. Membr. II. quod a p. 272. seqq. de CONIVGIO agit, prouocabo. Nemo facile, cui doctrina nostra, ex sacra scriptura desumpta, ac in symbolis ecclesiae nostrae, luculenter declarata, est curae cordique, aequo foret animo, virum clarissimum matrimonii vinculum tantum pro instituto venditasse humano, §.

2. p.



2. p. 272. seq. finem eius primarium non in liberis procreandis, sed mutuo solum amore posuisse, § 3. p. 273. seq. dominium maritis in uxores (quod tamen in scriptura sacra esse fundatum concedit) denegasse, §. 4. 5. p. 274. seqq. explosi illius conscientiae matrimonii defensorem extitisse, §. 7. p. 276. reiectam illam de polygamia licita sententiam denuo in arenam produxit, §. 8. 9. p. 276. seqq. In rebus matrimonialibus, quas vocant, multas adhuc patutus reliquias ecclesiae nostrae adhaerere, contendisse, §. 12. p. 279. & quae sunt reliqua. Tu, lector benebole, ex his allegatis statim ex vngue leonem agnosces. Mihi autem in praesenti DIVINAS MATRIMONII ORIGINES euoluendi, atque contra eum & alios sancti huius instituti cauillatores vindicandi occasio est suppeditata. Quamuis etenim constet mihi, Theologos nostros, clarioribus sole meridiano argumentis quam saepissime hanc veritatem confirmasse: Attamen quia doctrinarum coelestium contemtores contumelias dicere haud desistunt, non perperam erit actum, si iisdem verbi Diuini amatores obuiam ire, eorumque stirblijines retundere haud grauantur. Omnis autem labor in tribus his erit occupatus, ut primum eorum, quos fecutus est Auctor, mentem explicem, deinde rationibus sententiam nostram confirmem, & tandem argumenta Auctoris breuibus refellam.

## §. 3.

Qvanto opere Summum illud Numen, quod condidit omnia, ordinis sit amans, quamque vehementer eidem aduersetur omnis *אֱלֹהִים*, vniuersi huius aedificium nos docet, cui sapientissimus opifex accuratissimum indidit ordinem. Qvam in rem ipse Deus ex populo Israëlitico, JEREM. XXXIII. v. 25. quaerit: *רְקֻוֹת שָׁפִים וְאַרְצֵי לְאַשְׁטָרָה* Annon ordines s. statuta coelorum & terrae posui? Et HIEROPSALTES exclamat Psalm. CIV. v. 24. *כָּלֶב בְּחִכְמָה עֲשִׂית Omnia ea (scilicet opera tua) in sapientia fecisti,* quae vero sapientia quam maxime ex egregio, quem tenent, ordine, est conspicua. Sicut vero rerum conditor ordinem in primordiis earum factum adhuc seruat, ita eum usque ad huius vniuersi *παναλεθέραν* seruabit ex Genes. VIII. 22. At nobilissimum

huius mundi opificium sunt homines: Qvare & istis egregium ordinem sapientissimus praescripsit rerum architectus, quem te-stantur tres status, quos vocant, hierarchici. Imperantium ordinem a Deo habere originem, disertis adfirmat verbis Paulus Rom. XIII. l. 2. vbi non solum τὰς ἐξοιτας ὑπὸ τῆς θεᾶς τεταγμένας εἶναι, potestates scilicet magistratus a Deo ordinatas esse contendit, sed & hunc ordinem εἶς διαταγὴν, scilicet Dei ordinationem appellat, cf. Pro-verb. VIII. 15. 16. Ordinem docentium scilicet verbi ministrorum a Deo esse institutum, sacrae dubitare nos non finunt paginae, v. l. Cor. XII. v. 28 vbi ὁ Θεὸς, Deus dicitur Θεός εἰν τῇ ἐκκλησίᾳ ἀποστόλος, προφήτας, διδασκάλος καὶ λόγος posuisse in ecclesia Aposto-los, Prophetas & Doctores &c. cf. Act. XX. 28. Ephes. IV. II. 12. Statum oeconomicum, quem dicunt, inprimisque praeципuam huius partem, matrimonio videlicet constrictorum ordinem Dei sanctissimi esse opus, quae in sequentibus dicentur, comprobabunt. Serio itaque Deus, ordinis cupidissimus voluit, vt inter homines omnia sicut ἐν οὐρανοῖς κατὰ τάξιν, decenter & secundum ordinem, l. Cor. XIV. 40. Omnis vero ἀτάξις Auctor, genius ille malus, vt ordinem a Deo factum disturbaret, omnem mouit lapi-dem. Qvare semper, qui vnumquemque ordinum, a Deo insti-tutorum, impugnarent, ex Orco emisit. In praesentia tantum ad ANABAPTISTAS & WEIGELIANOS prouocabo, qui imperan-tium ordinem quoquis modo cupiuerint sublatum. cf. B. GV-S ΓΑΒ. GE. ZEL ΓΝΕΡΙ Breuiarium Controv. cum Enthus. & Fa-natic. p. 419. seqq. Qvantus semper extiterit numerus hostium, verbi ministerio infestorum, & docendi munus cuius vindicare annitentium, idem concinne ostendit ZEL ΓΝΕΡVS l. c. p. 408. seqq. Nec defuerunt tandem, qui de Oeconomico statu & im-primis de coniugio male & peruerso sentirent, istud non solum carnis opus & institutum humanum, cui τῷ Θεῷ plane desit, sed & a daemone malo ortum proclamantes; de quibus ultimum a nobis recensitis, nunc paucis concilisque verbis erit agendum.

## §. 4.

Divinam matrimonii originem illi negarunt omnes, qui aut  
pla-



plane promiscuum belluisque receptum sexus sequioris defendebant vsum, vagae, cui succubuerunt ipsi, effrenes libidinis testes; aut vitam matrimonio vincitorum impuram, turpem & Christianismo sanctitatisque studio aduersam proclamarunt, cf. JOS. BINGHAM in *Originibus s. Antiqu. Eccles.* Vol. IX. l. XXII. c. I. p. 265. sqq. Qvibus frigidam suffuderunt, & adhuc suffundunt, qui caelibatum matrimonio praferunt per cuniculos huius sanctitatem subruentes. Quorū & illi pertinent, qui quouis modo de matrimonii dignitate detrahunt, istud inter humana referentes instituta, aut inane illud matrimonium, cui conscientiae nomen, at falso, quia conscientiae quam maxime refragatur, tribuant, aequē esse licitum, quam initum ritę matrimonium, contendentes. cf. M. GODOFR. BAVERI *Schedialma de Matrimonii Sanctitate, ab haereticis veteribus, patribus quibusdam, Pontificiis Fanaticis ac Naturientibus iniuria lacesita*, Lips. 1736. excusum.

## §. 5.

Coetus Seruatori optimo sacratus cum adhuc infantiam ageret, pessimae notae homines exoriebantur, qui vagam & promiscuam libidinem non suo solum exemplo commendabant, sed & eandem disertis suos edocebat verbis, institutum esse Diuinum matrimonii vinculum plane immemores. Qvod si enim hoc perpendiculariter, legemque de matrimonio rite ineundo omnibus a Deo esse praescripam reputassent, sceleribus dictis se immergere abhorriisset. Pertinent huc testibus historiae sacrae monumentis SIMON ille, Magus cognomine dictus, SATVRNINVS Syrus atque NICOLAITAE. cf. BINGHAM l. c. §. 1. & 2. p. 265. seqq. Qvod ad primum attinet, neque ei controversiae me immiscebo, vtrum duplex sit stauendus Simon, unus, quem LVCAS Act. VIII. 9.-18. deseribit, alter GNOSTICORVM parens; quam primum inuenit opinionem CAMPEGIVS VITRINGA *Obseru.* S. I. V. c. XII. §. 9. p. 159. variorum ex doctissimis viris assensum adeptus: neque inquiram, vtrum potius gentium, quam Christianorum castris sit accensendus, adeoque ex haereticorum catalogo expungendus. Vtramque quaestionem solide excusfit magnus Helmstadiensis

A 3

Theo-



Theologus IO. LAVR. MOSHEMIVS in Diss. de *Vno Simone Mago ad Act. VIII. v. 9.-18.* Helmst. 1734. ventilata. Mihi annotasse sufficiat, veterum multos eum foedarum, quas diximus, libidinum coarguisse, IRENAEVM videlicet, AVGVSTINVM, EVSEBIVM, EPIPHANIUM, THEODORETVM aliosque. v. FRIDER. SPANHEMIVS in *Hist. Eccles.* N. T. p. 32. & qui fusius huius SIMONIS doctrinas euoluit CL. JAC. BRVCKERVS in *Hist. Critica Philosophiae* T. II. Per. II. P. I. l. II. c. I. §. 8. p. 667 seqq. Eiusdem furfuris homo fuit SATVRNILVS seu SATVRNINVS Syrus, vt pote qui ex SIMONIS schola prodiisse dicitur, peior fere improbo magistro discipulus. Iste praeter alias, quas fouit, doctrinas matrimonium a Satana deriuauit, foedis voluptatibus carnis cum suis penitus immersus. Testatur id EPIPHANIVS Haeres. XXXIII. §. II. his vsus verbis. Τὸ γαμεῖν, καὶ τὸ γεννᾶν ὁ αὐτὸς ἀγέρτης ἐν τῇ Σατανᾷ ὑπάρχειν λέγει, Vxores ducere, liberosque progignere ab Satana esse circulator idem pronunciat. Idem de eo testantur AVGVSTINVS, IRENAEVS, THEODORETVS aliique. cf. BINGHAM l. c. §. 2. p. 267. Quid de NICOLAITIS, Apoc. II. 6. 14. 15. commemoratis dicam, vtrum ex haereticorum numero sint delendi, quae sententia C. VITRINGAE, aliisque & in primis accurato quondam Wittebergensum Theologo B. JO. GVIL. JANO in Dissert. de NICOLAITIS ex Haereticorum catalogo expungendis, Witteb. 1723. habita, placuit; an haud infimus iis in eodem locus sit asignandus, quam opinionem defendit CL. JO. LAVR. MOSHEMIVS in Demonstratione Sectae Nicolitarum aduersus doctissimos eius oppugnatores in Bibl. Bremerf. Claff. I. Falc. IV. No. I. p. 381. seqq. legenda, nec non in compendio in Institut. Hist. Christianae P. I. Sec. I. P. II. c. V. §. 17. 18. p. 128. seqq. anceps haereo, ita tamen vt ad MOSHEMII sententiam amplectendam me fatear proniorem. Sed istud quicquid est, in praesentia annotare placet, veterum plerosque eos spreti matrimonii vagarumque libidinum accusasse. Ita IRENAEVS l. II. aduersus Haeres c. 27. de iis: Nicolitae magistrum habent Nicolaum unum ex septem, qui primi ad Diaconiam ab Apostolis

or-

ordinati sunt: qui indiscrete viuunt. Plenissime autem per Joannis Apocalypsin manifestantur, qui sint, nullam differentiam esse, dentes, in moechando & idolothyton edere &c. Idem testantur TER-TVLLIANVS, EPIPHANIUS aliique. cf. BINGHAM l. c. §. 2. p. 267. seqq. Qvod si isti, quos nominaui, Diuinam matrimonii institutionem habuissent ante oculos atque perfectam, istud caste ac pudice spretis turpissimae fornicationis illecebris custodiuerissent. Sed annon istorum erroris fundamentum in iisdem quaerendum sit principiis, quae MANICHAEOS, de quibus statim in sequentibus dicendum erit, a veritatis via abduxerunt, aliis diuidicandum relinquunt.

## §. 6.

Nunc enim ad putidam hanc errantium, qui maxime hic in censum veniunt, progredior sentinam, nempe ad MANICHAEOS, foedissimam seculi III. sectam, quae, MANETE Persa duce, maximas in coetu Redemptori addicto dedit turbas. Matrimonio istos non Diuinam solum denegasse originem, sed illud etiam inter illicita & Christianismo aduersa retulisse, tum ex ipsorum principiis, tum ex disertis veterum constat testimoniis. Ex scholis philosophorum, maxime Orientis, haeretici isti turpem de duabus principiis bono & malo imberibant doctrinam; Id quod B. JO. CHRISTPH. WOLFIVS in elegantissimo libello: *Manichaeismus ante Manichaeos, & in Christianismo Rediuinus*, luculenter ostendit. Foeda itaque haec colluuius cum malo Daemoni humani corporis structuram, & in primis generationis instrumenta adscriberet, non poterat non matrimonium improbare ac penitus reiicere. Turpissima sunt, quae AVGVSTINVS in libris *contra Faustum* & alibi iis tribuit, eos non tam vagum concubitum & fornicationem, quam legitimum matrimonium liberorumque generationem prohibuisse, adfirmans. At eorum tamen sententias emollire annuit doctissimus BEAVSOBRE in splendidissima *Historia Manichaeismi* T. II. l. VII. c. IV. p. 470. seqq. vtpote qui collatis tum scriptorum de iis inter se locis, tum ipsorum doctrinis contendit, AVGVSTINVM nimio abreptum zelo iis nonnulla,

la, in primis fornicationem & alia tribuisse, quae ipsi respuerint. Quamvis eterim MANICHAEI generatim matrimonium neque sanctam institutionem, neque honorabilem atque utilem reputauerint, eos tamen vni discipulorum parti, quos Auditores & Laicos vocauerint, illud permisiss, tanquam leuiorem in iis labem & maculam, quae sit toleranda, *Electis vero discipulis*, per quos Clericos intellexerint, hoc eos consilium, quod Euangelicum alias vocant, dedisse, vt penitus a matrimonio, tanquam ab opere carnis, & a malo originem trahente Daemonem, abstinerent. Liceat hic C. L. Auctoris verba, quamvis longiora, ex §. 9. p. 482. repetere, quo melius de mente ipsius constet. Scribit vero sequentem in modum: *Il est certain, qu'ils ne pouvoient ni approuver le Mariage, ni le regarder comme une Institution Sainte, honorable & utile. Cela étoit directement contraire aux Hypothèses, que le Demon a construit le Corps Humain, & qu'il est l'Auteur des organes de la Génération; Qu'il s'est proposé par-là de perpétuer la Captivité des Ames, autant qu'il lui seroit possible. --- Mais comme le desir de s'unir est naturel & violent dans les deux Sexes, en sorte qu'il y a peu d'Ames assez fortes pour lui résister toujours, nos Hérétiques permettoient le Mariage aux Laïques comme à des Foibles, dont il falloit tolérer l'imperfection; car s'ils auoient regardé le Mariage comme un crime volontaire & inexcusable, ils n'auroient pu le permettre à personne. Ils distinguoient, comme on le fait encore dans certaines Communions Chrétiennes, entre les Préceptes absolument nécessaires, & les Conseils Euangeliques. Tous étoient obligés à l'observation des Preceptes, mais il n'y auoit que l'Ordre Sacerdotal, & que les Parfaits, qui s'engageaient à l'observation des Conseils. Ceux-ci ne se mariaient point, parce que S. Paul auoit conseillé le Celibat, & que J. Christ auoit loué les Eunuques, qui se rendoient tels à cause du Royaume des Cieux, &c. Ex allegatis pater, haereticos istos matrimonii origines non ad sanctissimum Deum, sed ad malum principium nempe Daemonem retulisse, illud illicitum & Christiano indignum pronunciasse, a liberorum generatione abhoruisse, & quae*

quae sunt reliqua. Ex impura hac scaturigine sequentium temporum haeretici hauserunt, & nescio, an limites transfiliam, si adfirmem, omnes recentioris aeni cauillatores i. matrimonii contemtores pessimum hunc ducem MANETEM, vere insanum, sectari, eiusque vestigiis peruerse insistere.

## §. 7.

Jam ante Manichaeos, nempe seculi post natum Christum II. di tempore TATIANVS, ac egressi ex schola eius ENCRATITAE minus bene de matrimonio sentiebant. Qvoniام nempe TATIANVS, falsis gentium doctrinis innutritus, materiam esse vi-  
tiosam, nec boni Daemonis opus existere, credebat, suis nuptiis, vino, carne & aliis, quae corporis vires adaugent ac suffulciunt, interdixit. Qvare eos ENCRATITAS ab ἐγκατέν, continere, esse dictos, manifestum est. v. Summe Reuerendus MOSHEMIUS in Institut. Hist. Christ. Antiqu. Sec. II. P. III. c. 5. §. 10. p. 196. Eorum sententias de matrimonio EVSEBIVS in Eccles. Hist. I. IV. c. 29. nobis explicat, non suis, sed IRENAEI hisce usus verbis: Ἀγαπάνταν ἐκή-  
ρυξαν, ἀθετοῦντες τὴν ἀρχαίαν πλάσιν τὸ Θεόν, καὶ πέμπα πατηγοεῖν-  
τες τὸ ἄρρεν καὶ θῆλον εἰς γένεσιν ἀνθράπων πεποιηότες, Docuerunt,  
non contrahendum esse matrimonium: reprobantes scilicet primiti-  
uum illud opificium Dei, & tacite accusantes Deum, qui masculum  
& foeminam condidit ad propagationem generis humani. Qvibus  
verbis sequentia ex IRENAEI ore subiicit: Τὸν γάμον τε Φθοράν  
καὶ παρείαν παραπλανών Μαρκίων καὶ Σατορίνα αναγορεύσας, Matri-  
monium esse corruptionem ac slurpum cum Marcione & Saturnino  
asserens. Assentitur ei EPIPHANIUS, Haeref. XLVII. §. 1. scribens:  
Ἐγκατάται τὸν γάμον ἀποβάλλεται, τὸ Σατανᾶ φάσκοντες τὰς ἔνας,  
Encratitae nuptias reticiunt, Satanae opus eas esse dicentes. cf.  
BINGHAM I. c. 5. p. 274. Qvibus e testimoniis patet, ENCRATITAS quidem eo dementiae non esse progressos, vt eorum, quos  
§. 5. nominaui, turpes de fornicatione, nuptiis honestis praefe-  
renda, amplectenterunt opiniones, sed MANICHAEIS tamen praefu-  
isse, proximeque ad eorum mentem, quam CL. BEAVSÖBRE

nobis explicuit, accessisse, quemadmodum utriusque partis errores ex venenato eodem fonte, nempe pessima de duobus principiis, bono & malo, doctrina promanasse credo. cf. de TATIANO B. WOLFIVS in *Manichaeismo ante Manichaeos* p. 210. seqq. Ex allegatis hisce exemplis patescit foeda haereticorum de matrimonio sententia, Diuinis eius e diametro aduersa originibus. Possem equidem adhuc magnum errantium catalogum texere, & partim MARCIONITAS ex secundo, partim EVSTATIANOS HIERACITASQUE ex tertio, partim PRISCILLIANISTAS ex quarto seculo, multosque alios, quos B. WOLFIVS l. c. p. 192. seqq. commemorat, recensere, sed nolo diutius allegandis haereticorum portentis immorari; Quemadmodum etiam MONTANISTARVM ac NOVATIANORVM aliorumque opinionem de nuptiis secundis allegare supersedeo. cf. interim BINGHAM l. c. §. 10. p. 279. seqq. Satis ex allegatis Diabolum Diuino huic instituto & palam & per cuniculos infidias struxisse, sibique adeo eum, qui Deo competit sanctissimo, vindicasse honorem, elucescit.

### §. 8.

Sed & patres nonnulli ueteris ecclesiae, quorum sana de certis doctrina in dubium non fuit vocata, in Diuinam matrimonii originem, nescio qua infucatae sanctitatis specie abrepti, mirum in modum peccarunt. Partim enim ex sinistra verborum Matth. XIX. v. 11. 12. monitique Apostolici 1. Cor. VII. v. 7. 8. seqq. (\*) inter-

pre-

(\*) *ως εν παρόδῳ*. licet nonnulla de sensu istorum dictorum dicere, quia variis offendendi ansam inde sumferunt. Ad eosdem enim impedit scopulos Vir quidam clarissimus, qui nobis Dissertationem de Bonitate caelibatus ad Matth. XIX. v. 11. 12. Dresdæ 1738. typis exscriptam, dedit. Nam iste ingenti malorum, tum physicorum, tum moralium, tum ad Christianismum spectantium (& verorum & fictorum) coacervato simul caelibatum mirum in modum laudauit, vt putarem, nunquam futurum esse, vt aut ipse, aut aliis quicunque, tanta, quae excogitauit, matrimonii incommoda, rite perpendens, ad hoc vitae genus amplectendum permoueatur. At salua res est: Sunt enim mixta falsis vera, & sic plurima comparata, vt non medicorum solum, sed & omnium, quas vocant, facultatum filii vna cum quotidiana ipsi reclamant experientia. Sua omnino habet incommoda matrimonium; nec minor auctoritas caelibus. Utrum maiora homini, tum in physicis, tum in ciuilibus, tum

in

pretatione, partim ex falsa ac praeconcepta de quadam vi-  
tae Eremiticae perfectione sententia caelibatum matrimonio pree-  
ferebant. Quanto opere HERONYMVS ex nimio erga vitam Ere-  
miticam amore caelibatum seu omnimodam ab vxoribus abstinen-  
tiā in Epistolis suis & passim commendauerit, a multis dictum  
est. Cere, secundas nuptias Variniano prosecutus est odio, mulie-  
ribus, ad secunda redeuntibus vota, cum impuris non solum arcae  
Noae animalibus, sed & cum. suibus ad vomitum regredientibus  
comparatis. v. eius *Epistol. ad Geront. libr. adv. Jovin.* & passim,  
& conf. GVIL. CAVĒ in Histor. Litter. Vol. I. p. m. 268. Edit.  
Basil.

in sacris struat impedimenta matrimonium, quam saepissime caelibatus, nescio. Ma-  
neat itaque caelebs, cuicunque placet, & qui sufficienti continentiae dono est exor-  
natus: Nec ramen sibi priores arroger partes, nec putet, se longe preeftiori aut  
beatori vita conditione vti, quam qua fruantur illi, quibus hoc inire pactum pla-  
cuit. Quam ob rem & ipsum Autorem mentem inucaſſe, & in praefenti se tem-  
porarium modo habuisse continentiae votum, suo testari exemplo, audio. In-  
terim optarem ego, vt vir clarissimus, cuius nomini lubens parco, quia cum ob va-  
ria suspicio ornamenti, nunquam illas in lucem dedisset plágulas, siue serio, siue io-  
candi causa (quoniam iocus de rebus Diuinis & in erundo scripturae sensu procul  
inde se facesset!) ſcripsit, quia sic aduersariis frigida ſuffunditur, Diuinæ institu-  
tioni ſanctissime deuenerandæ, ac in primis Dei optimi maximi verbis; **לֹא־טוּב**  
**חַיּוֹת הָדָר לְכַדּוֹ**, non bonum, eſſe hominem ſolū, Genef. II. v. 18. aperte  
contradicuntur. At quoiam caelibatus fautores **Ψευδεγνωσία** diectorum ſupra al-  
legatorum nituntur, opera preium eſſe dico, paucis eorum ostendere ſenſum. Matth.  
XIX. v. II. 12. responder optimus Seruator ad dubium a discipulis, qui verba eius de  
diuortio extra adulterium illicito, minus recte perceperant, formatum. Qvia enim  
Seruator contendera, matrimonii vinculum, quamvis maxima, ſiue ex hac, ſiue ex il-  
la parte haberet incommoda, extra adulterii crimen, hand eſſe foluendum; discipuli  
exinde, caelibatum illi eſſe preeferendum, finitare colligebant. At Seruator regerit,  
non omnes hac continentiae pollere facultate, ſed triplicis generis dari Eunuchos,  
qui cupiditatibus nuntium mittere valeant, quorum tertiuui occupant locum, **οὐτε εἰς**  
**ένυπχιαν ἐσυτός διὰ τὴν βασιλείαν τὸν ἔρανον**, qui ſe ipſos caſtrarunt  
proppter regnum coelorum. Per **Γαριλείας τὸν ἔρανον**, regnum coelorum, non  
intelligi vitam aeternam, quaſi caelibatu caste ſeruato, eadem poſſit acquiri, ſed fo-  
lennem Euangeliſi pрадeicationem. Noui Testamenti tempore, & in primis ſub eius  
initium, inter Judaeos & gentes peragendam, ex Matth. III. v. 2. coll. c. XX. v. I.  
ſeqq. manifeſte eluceſcit. cf. THEOD. HACKSPANII *Notae Philol. Theol. ad h. I.*  
P. III, p. 129. Deinde per Eunucios tertii generis intelligi tales, quorum exſelectio con-  
ſtitat

Basil. nuper edit. Sed metu transgressos esse, ut alios taceam, tum GREGORIVM NAZIANZENVM, tum ISIDORVM PELVSIOTAM, arbitror, quando ille Orat. XX. p. 358. his vtitur verbis: μέγα παρθενία καὶ ἀσύλια, καὶ τὸ μετ' ἀγγέλων τετόχθαι, καὶ τῆς μοναδικῆς Φύσεως, Magna res est virginitas & caelibatus atque in angelorum naturaeque singularis ordine censeri. Sic angelorum naturae caelitatum assimilat. Sed hoc ipsi parum est; ad ipsum, ex virgine natum, confudit Saluatorem, contendens, propterea hoc factum esse, ut caelibatum nobis commendaret. Sic enim pergit GREGORIVS: Ὄντος γὰς εἰπεῖν, Χ. 158, δὲ καὶ γεννηθῆνας θελήσας, διὰ τῆς γενητῆς ἡμᾶς, ἐπὶ παρθένες γεννᾶται, παρθενίδην νομοθετῶν, κ. τ. λ. Vereor enim dice-

sistat ἐν τῇ ἀπεκδύσει τῷ σώματος τῶν ἀμαρτιῶν τῆς σακροῦ in exuto carnis peccatorum corpore Coloss. II. v. II. ostendit CL. JAC. ELSNERVS in Observ. S. in N. T. T. I. p. 88. & apposite in hanc rem allegat JVLIANI locum Offerat. V. p. 174. Ἀπονόψαθαι, ἢτι κατὰ τὸ σώμα, κατὰ δὲ τὰς ψυχὰς ἀλόγους ἑράδεις καὶ κινήσεις, κ. τ. λ. absindere non quidem in corpore, serum inexpertibus rationis motibus atque desideriis. cf THEOPH. AMELIVS in der Erörterung der duncelsten Schrifft-Stellen N. T. T. I. p. 376 seqq. Faceret huc PHAVORINI deriuatio vocis εὐναξιζεῖσθαι, απὸ τοῦ εὐναξιζεῖν, bene mentem habere comparatam, nisi alia vocis deductio απὸ τῆς εὐνῆς & τῆς ἔχειν, seu lectum custodire, in quo peses Orientis populos Eunochorum in primis, consistebat officium, magis placeret. Conf. JO. CASP. SVICERVS in Thesaur. Ecclesi. sub voce Εὐνέχος p. 1255. Quibus itaque suppositis talis emergit verborum sensus: Sunt nonnulli, sive sine matrimonii vinculo constricti, sive caelibem agant vitam, qui opere Spiritus & suis mirum in modum renunciant cupiditatibus, siisque desideriis, ut eo melius Euangelii praedicationi, quae ipsis demandata est, inuigilare possint. At si vrgeas, tantum de caelibatu & abstinentia a re vxoria haec verba esse exponenda, quia totus verborum nexus de matrimonio agat; Hand difficilem me tibi praebebo, si modo 1) verba: ὁ δυναύεος χωρεῖν, χωρεῖται, qui potest capere, capiat, non per mandatum, sed tantum permissionem, in libertate hominum, & in primis Apostolorum, (de quibus maxime hoc loco est sermo) positam explices. Annon enim in plerisque linguis, saltem iis, quae innotescunt mihi, vnu receptum est, ut imperatiuus, & in primis tertia eius persona, permisive quam saepissime usurpetur, atque pro tercia coniunctiu ponatur? E. gr. si quis Latine: qui vult abire, abito; aut Germanice: wer gehen will, der geh, diceret, quilibet quam facilime intelligeret, non tam mandatum hic dari, quam concessionem. In Graeca etiam hoc esse vstatum lingua, vel praesens, si alia desicerent, exemplum indicarer. Ne-

dicere, Christi, qui cum propter nos genitos gignendus esset, ex virgine gignitur, virginitatem velut lata lege sanciens. Hic vero, nempe ISIDORVS, Epist. CXV. l. IV. ita: Καλὸν μὲν ὁ γάυος, καλλιον δὲ οὐ εὐηγέρτεια, καλλισον δὲ οὐ παρθενία. Bonum quidem est coniugium sed praestantior est continentia, praestantissima vero virginitas. Quod si Diuinam ipsi institutionem ante oculos habuissent, cautius sane in caelibatu laudando, eumque matrimonio longe praeferendo mercati fuissent. Hocce enim errore, ex inconsiderantia admisso, violentis adversariorum praeceptis, Clericatu, quem vocant, obseruandis, de perpetuo castitatis voto, i. e. ne, libidinum ignibus vel maxime inflammati, matrimonium vñquam ineant, an-fam suppeditarunt.

## §. 9.

Nemo enim exscriptura N. T. exemplum proferet, per mandatum hominibus caelatum esse iniunctionam, si vel maxime continentiae dono gaudenter. At vero & aliud succurrit exemplum ex i. Cor. VII. 15. Εἰ δὲ ὁ ἄπιστος χωρίζεται, χωρίζεθαι. Si haec verba per mandatum exponeres, absonus euaderet sensus. Quare CLERICVS haec recte transluit: *Quod si infidelis discedit, discedat;* Et SE-BAST, CASTELLO: *Sin infidelis diuortium facit, faciat.* Apostolus agit de matrimoniis mixtis, quando altera matrimonio constrictorum pars Christum profiteretur altera vero gentium superstitionibus est addicta. Hoc posito casu, inquit Apollo, Ius, nemo viro ethnico potest prohibere, quo minus diuortium faciat. Sed parum refert, utrum faciat: Tu nihil minus Christo fidelis maneas, etiam si videoas, propterea vinculum matrimonii dissolui. Si vult ille se separare, se separet. Nemo enim Christianorum hoc ei diuortio interdicendi facultatem habet. Et sic etiam in Servatoris verbis τὸ χωρίζειν est capiendum, nempe permisum, adeo, ut iste emerget sensus: Qui potest hoc capere, i. e. qui facultate a re vxoria abstinenti est praeditus, ille capiat, s. se abstineat, sed libere, non coacte: nullum enim ipsi datus mandatum. Viri itaque clarissimi cuius paulo ante mentionem feci, obseruatio, g. 14. p. 15. seq. data, leui & lubrico nictitu fundamento, quando his vitetur verbis: Non audiendi sunt, qui Imperatiuum hoc loco non in praeceptionis, sed permissionis solum ac cobortationis potestate accipi, peruerse docent. Imperatiuum enim apud Graecos semper mandat, Optatiuum vero concedit. Quod enim Imperatiuum aliquando permittat, nemo, hoc ita esse, exemplo quodam firmo, multo minus ex Nouo Foedere sancto, probare poterit. Sed en! ego firmo ex Nouo Foedere exemplo probavi, quod probandum fuit. Operae pretium me facturum esse haud arbitror, si ad profanos Graecorum scriptores excurresem, ex quibus forsitan larga exemplorum copia esset colligenda. Potest tolerari sententia tua, si 2.) haec verba temporantium modo Apolotorum primorumque verbi ministrorum institutum indicare doceas, quorum

## §. 9.

Nec minus CONCILII TRIDENTINI patres in Diuinam matrimonii institutionem, simulque huius auctorem sanctissimum, injurios fuisse, res est expedita. Nam vna ex parte quidem, terribili anathemate in eos pronunciato, qui suum denegant asleris, matrimonium inter Sacraenta, vere & proprie dicta, & a Christo instituta, referunt, v. Session XX. Can. i. At altera ex parte sub eodem anathematis fulmine caelibatum ei longe preeferunt, atque ut meliorem ac beatiorem vitae rationem suis commendant preedicantque. Ita enim patres l. c. Canon. X. sancierunt: *Siquis dixerit, statum coniugalem anteponendum esse statui virginitatis vel caelibatus, & non esse melius aut beatus, manere in virginitate aut caelibatu, quam iungi matrimonio, anathema sit.* Quare & antecedente Canone IX. omnibus, qui Clericorum matrimonium affirmarent, eodem modo anathema dixerant. Quanto opere priuati ipsorum Doctores in hoc institutum a Deo factum, sint inuecti, dum matrimonio maximam adscripterunt impuritatem, ostendit B. NICOL. HVNNIVS in Pelle Ovina E. R. Detracta p. 159. seqq. & in

pars preecipua caelebs viuebat, vt ab omnibus matrimonii oneribus immunes, Apostolorum muneri eo melius commodiusque preeesse possent, quod ab iis postulabat vt in omnem abire mundum, nec leco quodam hexam tenter sedem. Verba itaque SERVATORIS cum PAVLI consilio mihi conuenire videntur, qui i. Cor. VII. 8. 9. iis, qui dono pollerent continentiae, caelibatum suasit, sed hoc consilium esse temporarium v. 26. monet, hisce verbis: Νομίζω δὲ τέτοιο καλὸν ὑπάρχειν, διὰ τὴν εἰσῆσθαιν αὐτάγκην, Arbitror igitur, id bonum esse, propter instantes res aduersas. Saeuissimas persecutions, quae Euangeli causa proxime erant subeundae, ante oculos habuit Apostolus. Quidam itaque vinculo matrimonii alligatorum, adeoque familiam alentium calamitas, non poterat non esse fauior, πέρις τὸ αὐτὸν συμφέρειν, οὐκ ἵνα βεόχον αὐτοῖς ἐπιβεδλη, ad ipsorum utilitatem, non eti laqueum ipsis initiat v. 35. videlicet, ινα μὴ θλίψιν τὴν σαρκὶ ἔχωσιν, οἱ τοιεστοι, ne humanae calamitates ipsis sint ferendae, v. 28. caelibatum ipsis suadet atque commendat. Sic neque ex ipsis, quae aduersariorum sunt palmaria, patet locis, caelibatum matrimonio esse preeferendum, multo minus ex aliis pro sententia, quam fount, stabilienda, aliiquid portrunt exculpere. Conf. erudita B. JOACH. ZENTGRAVII Diff. de Consilio Euangelicis ex i. Cor. VII. 35. Argentor. 1705. ventilata.

in Apostasia E. R. p. m. 1045. seq. Quomodo autem matrimonium possit esse Sacramentum, a Christo institutum, & tamen impuritibus squalidum, ego non video. An, quaeſo, etiam Sacra menta dantur impura? Et an Christus impurum quid, sanctitate illaesa, potuit instituere? Sic quod vna dederunt manu, eaque nimis larga, altera nobis rapiunt. Hanc vero ipsorum doctrinam omni ex parte eandem esse, quae fuit quondam MANICHAEORVM, facta, quod ad singula attinet momenta, comparatione, egregie ostendit CL. BEAVSOBRE l. c. §. 9. & 10. p. 483. seq.

## §. 10.

Doctrinam de Diuina matrimonii institutione pariter omnis generis FANATICI & ENTHVSIASTAE infringunt, vtpote qui impuritatis labem eidem impingunt, malo Daemoni eius institutionem tribuunt, aut saltē ab Adami lapsu matrimonii vinculum derivant. Varias eorum calumnias in matrimonium dictas, collegit M. GOTTFR. BAVERVS in Diff. c. de *Matrimonii sanctitate* p. 12. seqq. Idem fere docent isti, quod spurcissimus quondam ADRIANVS BEVERLANDVS in pestilenti libello de Peccato *Origini* tradidit, vtpote qui *vsum coniugii homini integro interdictum fuisse*, adeoque *omni tempore malum*, *εἰ καὶ ἐξοχὴν peccatum esse*, *quin peccatum originale quod in posteros deriuatur*, *esse generandi cupiditatem*, impie statuit. v. LEON. RYSSENIVS in *Justa Detestatione sceleratissimi libelli Adr. Beuerlandi de Peccato Originali &c.* Gorinch. 1680. in 12. edita, vbi p. 16. Beuerlandi doctrinas in compendium rededit. Annon, quaeſo, haecce WEIGELII doctrinae in Postill. P. II. p. 287. P. III. p. 69. ita scribentis: *Weiber nehmen, Kinder zeugen, ist adamisch, irridisch und viehisch, quam maxime respondent?* Vtrum Anglus ille Anonym. qui edidit: *Matrimony: or good Advice, to the Ladies, to Kepp single*, ex eadem prodierit schola, nescio. Adminimum virginibus caelibatum non adeo ob varia matrimonii onera, in primis rixarum frequentiam, sibi notam, commendasset, si Diuinae memor fuisse institutionis.

## §. II.

Eo quidem non progrediuntur impietatis, qui instituum esse

hu-

humanum matrimonii sanctionem contendunt, quae CL. Auctoris nostri, de quo supra §. 2. nonnulla monuimus, est sententia, ut fornicationem eidem palam praeferant, aut ob foedam illud impuritatem auersentur. Interim tamen in sanctitatem huius instituti, eiusque Auctorem non minus peccant, cum opus denegent ipsi, quod diserte in sacra Scriptura, quod paulo post videbimus, sibi vindicat. Non itaque ab Auctore nostro, haec sententia est inventa, sed iam ante eum a Nouatoribus in lucem producta. Jam superiori seculo haec controversia in Gallia fuit agitata inter IO. GARBAIS, doctorem Sorbonicum, & IO. LAVNOIVM, quorum posterior, vir alias cordatus verique amantissimus, statuit matrimonium modo esse contractum ciuilem. Falso quidem: Sed GARBAIS rectius LAVNOIVM refutasset, si argumentis adstruxisset, matrimonium non posse esse contractum ciuilem, cum instituto & lege Diuina nitatur, si quidem ciuilium contractuum fundamenta & normae sint leges ciuiles, quam matrimonium inter Sacraenta, ex doctrina coetui suo recepta, referendo, istud praestitit. v. B. ZACH. GRAPIVS in *Theologia recens controuersia*, P. IV. c. X. qu. VI. p. 12. seqq. Eandem inflauit tibiam OBSERVATOR HALENSIS, qui T. X. Obseru. X. p. 232. seqq. quae agit de *propaganda vniendaque religione Christiana per societas matrimoniales* (labor perpetuis dignus tenebris), coniugium inter contractus tantum ciuiles retulit. Nam §. 5. p. 239. seqq. ad modum inuehitur in virum, aeterna dignum memoria, B. CARPZOIVM in *Jurisprud. Eccles.* foedus matrimonii *sanc-*  
*sum ob Dei auctoritatem & voluntatem* compellantem, cum Au-  
ctor ipse tantum pro contractu ciuili illud habeat. Sed nisi quis Diuinam simul legem, ratione matrimonii latam, neget, contractus mere ciuilis nomen matrimonio non vindicabit.

## §. 12.

Sed postquam eos, qui Diuinam matrimonii originem negant, aut faltem reddunt dubiam, vidimus, nunc ad confirmandan nostram de Diuina matrimonii institutione sententiam accingimur. Primum vero pro confirmanda sententia nostra, idque pal-

palmarium desumitur argumentum ex Genef. II. v. 18. 21. seqq.  
 coll. cum Genef. I. v. 27. 28. & Matth. XIX. v. 4. 9. Haec sa-  
 cris codicis loca sole meridiano sunt clariora, luculentumque de  
 Diuina matrimonii institutione perhibent testimonium, ut talpa fo-  
 ret caecior, qui candem ex iis non cognosceret. Quemadmo-  
 dum enim allegata Geneleos loca, Diuinam eiusdem institutionem  
 in statu integratatis fatis superque confirmant, ita summam huius  
 institutionis auctoritatem ad omnia se tempora tum V. tum N. T.  
 extendere, ex allegatis Christi apud Matthaeum verbis appetat.  
 Habemus itaque Deum matrimonii auctorem, qui non de conden-  
 da solum Adamo socia consilium capit, quia istud matrimonii  
 vinculum homini vtile futurum esse, cognoscit, sociamque hanc  
 ex costa Adami re ipsa format, sed illam quoque ad Adamum pa-  
 ranymphi sanctissimi instar adducit, leges hunc ordini conformes  
 & vtiles praescribit, atque recens nuptis benedit. Ergo Deus  
 sapientissimus est ille qui hunc ordinem instituit ipse. v. in haec  
 loca practer Theologorum Systemata, B. CHRISTOPH. SONNTA-  
 GII Diff. *Sanctio connubialis Paradisiaca* ex Genef. II. 24. Altd.  
 1696. publice ventilata; M. GEORG. FRIDER. HEVPELII Diff.  
 de *Somno Adamo diuinitus immisso*, ex Genef. II. v. 21. Argent.  
 1700. B. SEB. SCHMIDII Colleg. Publ. *Prius* p. 267. seqq. Sed  
 licet tamen in praesenti potiora, quae in his latent scripturae di-  
 cit, momenta, adhuc paucis in sequentibus considerare:

## §. 13.

I.) Obseruandum est, matrimonium adeo in statu integrata-  
 tis a Deo fuisse institutum, & nequaquam a lapsu hominis deri-  
 uandum esse. Qvamobrem, quando nonnulli somniant, Adamum  
 iam tum ad lapsum fuisse pronum, cum matrimonium instituere-  
 tur, cuius rei testis sit somnus, ex virium debilitate ipsi immis-  
 sus (quod ideo docent ut matrimonium inter lapsus humani ef-  
 fectus referre possint), merito cum B. BVDDEO in *Hist. Eccles.*  
 V. T. P. I. Sect. I. §. 29. not. \* p. 82. has earum nugas repudia-  
 mus. Nam Deus de socia Adamo danda, iam ante ceperat con-

C

filium

filium v. 18 Genes. II. quam obdormiscebat Adamus, & somnus ipsi propterea immitebatur, vt Deus ex costa, e corpore eius extracta, Euam conderet.

## §. 14.

2.) In statu quoque integratatis matrimonium homini bonum & utile, & ad fines, quos sibi praefixos habebat, imperrandos, accommodatum, Numen sapientissimum esse arbitratum, exinde colligimus. Fines autem isti sunt, *primum* humani generis propagatio ex Genes. I. v. 28. *deinde* mutuum auxilium Genes. II. v. 18. quibus post lapsum accessit *tertius*, nempe libidinis extinctio ex I. Cor. VII. v. 2. vtpote quae maiorem huic foederi indidit necessitatem, quoniam teste Apostolo *nubere potius est, quam viri*. Nescio autem, quare vir CL. cum quo nobis in praesentia negotium est, tam operse allaborauerit ostendere §. 3. p. 274. liberorum generationem non esse primarium matrimonii finem, sed mutuum amorem, cum tamen Deus Genes. I. v. 28. vbi Moses connubii vinculum ex ore Dei generatim describit, inprimis ad hunc respexerit finem, & is naturae sit conuenientissimus, quanquam alter, mutuum nempe auxilium, aequo hoc ingressis pactum ex Diuina intentione Genes. II. 18. debet esse commendatissimus. Auctor mutuam, quam crepat, amicitiam, aut de libidinis intelligit explectione; Sic pertinent, quae dixit, ad finem a nobis tertio positum loco, eumque post hominis lapsum, vt aiunt, accessorium: Aut de mutuo ea vult intellecta auxilio, quod sibi invicem praestent matrimonio iuncti; Sed tum ex re ipsa patet, secundum hunc esse finem, quia est propter alium. Amicitiae vinculum contrahunt foedus hoc ingredientes, vt liberos procreent; mutuumque sibi praestant auxilium, quia utriusque est ad liberorum & familiae concurrere sustentationem. Primus proinde matrimonii, finis est manetque liberorum procreatio. Quantum vero hariorum, hoc ideo ab Auctore est prolatum, vt eo melius, suae de conscientiae matrimonio inferuirerit sententiae, aliaque falsa in sequentibus posset adstruere. v. paulo post §. 15. observationem 3. Inaequalium nuptias, quod argumentum urget vir CL. §. 3. p. 274. Theologi nostri quam maxime dissident,

in



in primis cum sciant, quam rarissime eas ex amore iniri, sed foedus hoc iungentium intentiones ad quaestum, aut alia, in matrimonii foedere pangendo repudianda, spectare, & cum praeterea ipsos experientia doceat, concordiam inter eiusmodi inaequales vix unquam inueniendam. Interim cum nullo prohibendi iure, neque ex Diuina, neque ex ciuili polleant lege, eas tolerare coguntur nuptias, hocque inprimis ideo, quia, eti primus cessest finis, secundus tamen adesse potest. Ceterum cf. CL. IO. GOTTFR. MOERLINI *Diss. de Connubiosis Inaequalium ex Principiis Philosophicis & ex Antiquitatibus* Lipsi 1721. proposita; Pariter Illustris Jenensium JCtus D. JO. GEORG. ESTOR in *Diss. Vestigia Juris Germanici in iure Canonico & quidem Cap. IX. de Sponsalibus, de odio in matrimonia inaequalia &c.* Jenae 1740. ventilata, qui c. V. varia de eiusmodi exhibet matrimonii; Addantur etiam, quae CL. Auctores NOVANTIQVORVM 1739. P. III. p. 279 seqq. ex PETR. FRID. GAEYERI libello: *Vierecchtes Ehe - Schäglein de inaequalium matrimonio referunt.* Ut paucis me expediam: Inaequalium matrimonia, quae Theologis nostris inuitis, ac summo dissidentibus opere, rarius iunguntur, non possunt eorum de matrimonii fine infringere sententiam, in quo praeente scriptura constituendo, non ad id quod rarius, sed quod ordinarie fit, respiciunt.

## §. 15.

3.) Ex dictis supra allatis moneo, quando Deus dicatur Adamo vxorem dedisse auxiliatricem, quam etiam non ex capite, sed costa, de media corporis Adamitici parte desumpta, formauerit, ipsum vxorem admonere voluisse, ut ad mariti nutum parata esse debeat, cum caput ipsius existat maritus. Ergo etiam in statu innocentiae quedam vxoris subiectio ex Dei intentione obtinuit, quamvis non coacta, sed spontanea, & cum suauissimo amoris vsu coniuncta. Lapsus vero hominum cum omnia disturbaret, contrariamque ac peruersam homini atraheret voluntatem, praeuidebat Deus, fore, ut vxor hanc subterfugere quereret subiectionem. Hinc eo seuerius eandem post lapsum vxori praecepit Deus, Genes. III. v. 16. Sic

C 2

ex

**E**x prima quoque institutione vxoris caput est maritus, teste Paulo, I. Cor. XI. 3. κεφαλὴ δὲ γυναικὸς ὁ ἄνδρος, uxoris caput est maritus; In primis attendi merentur, quae subiungit Apostolus v. 8. 9. ὡς γὰς εἶναι ἄντες ἐν γυναικός, ἀλλὰ γυνὴ ἐξ ἀνδρός. Καὶ γὰς εἰς ἑταῖρην ἄντες διὰ τὴν γυναικαν, ἀλλὰ γυνὴ διὰ τὸν ἄνδρα. Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum. Quae verba egregie illustrant ea, quae a sapientissimo matrimonii Auctore sunt dicta: *Dabo ipsi auxiliatricem*, recteque addit HENR. HAMMONDVS in Paraphrasi: *argumentum, ex quo liquet, mulierem esse viro inferiorem.* Haec res adeo rationi & naturae iuri non est contraria, vt potius eo confirmetur. Nam etiam natura, ordinis amantissima, suadet, vt in societate hac, et si parua, maritus praesit rebus agendi, vxor vero se arbitrio eius submittat, quamvis violenta ceteret coactio, nec seruile statuendum sit imperium. Ignoro proinde quare Author CL. pluribus verbis §. 4. 5. 6. p. 274. seqq. omne imperium marito, saltem in statu innocentiae denegarit. Forsan hoc ideo est factum, quia mutuum amorem primarium matrimonii esse finem creditit. At si mutuum retinuissest auxilium, quod nos scripturae sacrae verbis confirmauimus, forsitan tentativa ex scriptura a nostrisibus defensa, ipsi non displicuissest. Mutuam amicitiam in matrimonio viuentibus quilibet, qui humanitatem consulit, quam maxime suadebit; & quemadmodum mutuus amor animos iungit, hasque contrahit societas, saltem contrahere debet, sic ex eo mutuum promanaare auxilium statuet, si consentiente voluntate, nec coacte hoc auxilium sit exhibendum: Nee tamen concedendum est, mutuum hunc amorem primarium esse finem matrimonii, quod paulo ante confirmauimus.

## §. 16.

4.) Istud addo, quando Deus unum tantummodo condidit virum, unquamque foeminam, ac istud par inter se coniunctum esse voluerit, ex Genes. I. v. 27. c. II. v. 18 22. maxime v. 24. coll. Matth. XIX. v. 4. 5. & I. Cor. VII. v. 4. exinde elucescere, inter duos

duos tantum ex Diuina intentione matrimonium sanciri. Maxime a Seruatore repetita ex loco Geneseos allegato verba: "Ἐσονται οἱ δύο εἰς στέγην μίαν, erunt duo in unam carnem, firmum mihi pro adstruenda sententia suppeditant argumentum. Et si enim οἱ δύο non κατὰ τὸ ὄντες in fontibus Genes. II. v. 24. existunt, sed tantum haec: *הַיְלָדִים לְבִשְׂרָךְ אֶחָד* erunt in carnem unam, leguntur, tamen κατὰ τὴν διάβολον in his latent. Nam duos considerat Deus homines, marem & foeminam, & de iis dixerat: *Erunt in carnem unam*. Hoc sane idem est, quam si diserte dixisset: *Hi duo erunt in carnem unam*. Qvare etiam optimus Scruator ex versione LXX. quae ratione sensus haec verba addidit, eadem retinuit, adeo ut nunc pari ratione quam reliqua, in fontibus Hebraicis existantia, Diuinam obtineant auctoritatem. Reete B. SONNTAGIVS in Diff. Memoriali I. §. 4. p. 5. scribit: *Christus, dum in N. T. illa versionis verba approbat, eadem omnino canonizat, ut adeo non amplius versionis alicuius Biblicae verba, sed potius scripturae Canonicae pars in illo Matthaei textu ἐν loco debeant existimari.* cf. B. WOLFIUS in Curis Critic. ad h. l. Nec est, quod excipias, quia non plures extiterint homines, quam duo, Deum duos tantum coniunxisse, & de duobus sermonem fecisse: Nam obseruandum est 1.) haec verba vim legis habere, in perpetuum valitiae. Qvod si itaque polygamiam admisisset Deus, vel vlo indicio hoc indicasset, saltem eo loco, vbi prima matrimonii describitur institutio. 2.) Christum haec verba innumerabili hominum existente copia in Nouo T. repetuisse, notandum est, & tamen duorum tantum ad matrimonium facere mentionem spectantium. Sed piget in hac controversia, adeo trita, & innumeris eruditorum scriptis explosa atque repudiata, plura proferre. Istud tantum miror, CL. Auctorem nostrum, putidam atque turpem hanc de polygamia in scriptura nusquam prohibita sententiam, denuo §. 8. seq. p. 276. in lucem protraxisse. Si unam B. WERNSDORFII Diff. *Summa fanae doctrinae de polygamia* Witteb. 1716. editam (\*) euolu-

ui-

(\*) Addatur B. IO. MVSÆI Diff. Quæstio controversa: *An conjugium primaenam eius insit?*

ueret ipsi placeret, forsan aliter sentiret. Exempla polygamiae, quam Deus ob τηλησαρχεῖ in V. T. aequae ac diuortium, ob causas saepius leuiores factum, (de quo paulo post) tolerauit, nil ipsius adiuuant sententiam. Multo minus illud Pauli dictum, i. Tim. III. v. 2. vbi episcopus iubetur esse μᾶς γυναῖς ἀνὴ, vnius uxoris maritus, eius opinioni fauet. Nequaquam enim ex hoc loco potest probari, polygamiā primis fuisse receptam Christianis, quae re silent vniuersae antiquitatis monumenta, nec Christianorum calumniatores hanc tacuissent rem, cum de ceteris omnia corraserint, atque nefanda in Christianorum contumeliam finxerint. Varias fateor dicti huius factas esse interpretationes. Fuerunt enim, qui successiva, seu priori vita defuncta vxore, Episcopo interdici polygamia crediderint; quare secundas eorum damnarunt nuptias. Fuerunt, qui priori repudiata vxore, quod tum adeo inter Judaeos & gentes etiam leuioribus de causis, erat usitatum, quamdiu vitam degeret illa, altero episcopum prohiberi matrimonio, contendenterint, quae doctissimi Angli, HENRICI HAMMONDI ad h. l. est obseruatio. Posset etiam istud moneri, εἰς, μία, εἰς, indefinita esse positum, pro aliquis, quo significatu innumeris fere locis occurrit, e. gr. εἰς γεωμετρεῖ Matth. VIII. 19. εἰς εἰς οὐλας, &c. Sed quia episcopo caelibatu non absolute interdicitur, quamuis variae muneris rationes suadeant ipsi, ut hoc contrahere vinculum haud cesseat, præstat, ut dicamus, simultaneam, quam vocant, ipsi prohiberi polygamiam. Haec tum inter Judaeos, tum inter gentes quam maxime viu erat recepta, quanquam adeo aliquot gentium leges eam non concederent. Quare, cum episcopus suo aliis exemplo praelucere teneatur, inprimis ab hoc crimine abesse iubetur. Patet hoc exinde, quia eodem loco alia vitae præcepta allegat Apostolus, quae aequab omnibus sunt obseruanda Christianis, sed tamen episcopo, qui suo etiam exemplo alios docere de-

institutione salua inter plures quam duos esse posse? qua cum primis loca Matth. XIX. §. 9. I. Cor. VII. 4. & commentis Theophili Alethaei quibus in suo discursu politico de polygamia, illorum sensum genuinum peruertere laboravit, vindicantur, Jenae 1696. typis exscripta;

debet, in primis conueniunt. cf. Summe Reuerendi JO. GEORG-WALCHII Dissert. de Episcopo vnius vxoris viro ad h. l. Jenae-1733. ventilata.

## §. 17.

5.) Tandem istud ex dictis allegatis colligo, quando Deus (\*\*) Genes II. v. 24. addit, maritum parentes derelicturum, (**רַעֲבָנָא שְׁאֵלָה**) suaeque adhaesurum esse vxori (**רַכְבָּה**) his verbis improbari a) faciliorem, illam matrimonium dissoluendi, etiam leuiores ob causas, rationem Judaei & gentibus olim receptam. Qvare minus apposite Auctor noster CL. §. 12. p. 281. rigorem ratione diuortiorum improbat. In veteri quidem Testamento ob **στληζουαεδίαν** Judaeorum tolerasse Deum hanc matrimoniorum rupturam adfirmat Saluator, sed addit Matth. XIX. v. 8. **ἀπ' αὐχῆς**, seu a tempore primae matrimonii institutionis, diuinitus factae, ita non fuisse. Tantummodo itaque unum adulterii casum, cui accedit malitiosa deserio, quae adulterii est. instar, ex I. Corinth. VII. 15. (cf. DAV. HOLLAZII Examen Theolog. P. IV. c. IV. qu. 17. p. 916.) soluere matrimonium, ex Christi verbis Matth. XIX. 9. constat. De ceteris diuortium alia de causa non esse tolerandum, ex eodem loco, cum Matth. V. v. 32. collato, colligimus. Certe arctior est nexus matrimonio iunctorum, quem indicant voces in fontibus Hebraicis **רֶכֶב** & Graecis **προσινολλάθη**, glutine quasi compingere, quam ut vlla ratione divorantium, leuite sulceptum, possit admitti.

b) Qvando arctum ipse Deus in coniugii institutione nectit vinculum, putidum illud conscientiae matrimonium, quod denuo Auctor noster CL. §. 7. p. 276. incruxat, reiici. Nimium corruptae post lapsum naturae perpetuum hoc connubii vinculum displaceat, ut opta-

(\*\*) Non Adamum sed ipsum Deum Genes. II. 24. loqui ex Servatoris allegatione Matth. XIX. §. luculenter patet, siquidem Servator haec verba non Adamo, sed Adami & Euae conditoris, iamque ipsorum paronympho diserte tribuit, cf. B. SONNTAGIVS in Diss. alleg. Memor. I. §. I. p. 3. seq. Loquitur itaque v. 23. Adamus: *Est caro ex carne mea, propterea נִשְׁאָנָה vocabitur, quia נִשְׁאָנָה ex viro desumpta est. Exceptum haec Adami verba Deus v. seq. 24 בְּלֹא quare &c. q. d. Quia hoc non sufficit, sed etiam propterea, quia ex marito desumpta est vox, derelinquet maritus parentes &c.*

optarent leuioris notae homines, saepius illud & pro lubitu mutare, si in ipsorum situm esset arbitrio. Hinc illud D. SAM. FRIDER. Willenberg, ao. 1719. Gedani peculiari defendit Dissertatione; alios, sicut & viros, qui refutarunt illos, in praesentia allegare supercedeo. Hoc tamen miror, CL. IO. GEORG. PERTSCHIVM in *Hist. Eccles.* Sec. II. p. 493. Christianis huius seculi foedum hoc conscientiae matrimonium tribuere potuisse, cum ne vna quidem litera ex antiquitate hoc probare valuerit. En! quomodo viri doctissimi, qui praeceteris clamant, praeiudicia esse ponenda, praeconcepta sententiuarum semel receptarum opinione laborent! An credi potest, Christianos, qui, vt vitam lucrarentur aeternam, nefandis affecti cruciatis, vitam hanc ponebant, talis se criminis reos fecisse? Et annon gentium calumniis sic omni iure fuissent lacefitti? Quando autem Auctor noster CL. contendit, hoc conscientiae matrimonium (quod reuera nil aliud est, quam fornicatio, seu scortatio, honestioris nominis pallio tecta), iuri naturae non esse aduersum, sed tantum legibus ciuium, a Principe latis, §. 7. p. 276. sic respondeo? Annon natura est ordinis amantissima, adeo vt omnes abhorreat turbas omnesque confusiones, societatem quae destruunt? Sed quales, quaeſo, perturbationes exorirentur, si Sempronio modo hoc, modo alio loco, vnam in Hispania, alteram in Gallia, tertiam in Italia vxorem ducere, & tandem, prioribus dimissis, Germanicam sibi associare, liceret? Qvis prioribus alimentum porrigeret vxoribus? Qvis liberorum gereret curam? Quae contentiones, quae rixae exinde oriorentur? Sexcenta alia, quae ex hac prodirent confusione, taceo. Deus est ῥης τάξεως Deus, qui omnem odio prosequitur ἀταξια: Ergo arctissimum matrimonii vinculum, quod per omnem hominis vitam se extendat, fanciuit. Sed arguento huic, quod Diuinam in primis ostendit matrimonii institutionem, iusto diutius fere sum immoratus, nunc cetera paucis expofitus.

## §. 18.

Diuinam matrimonii auctoritatem secundum istud confirmat argumentum, quoniam Deus praeter leges, quas in prima dederat con-

coniugii institutione, alias quoque de matrimonio tulit, quod ad illos attinet cognationis gradus, secundum quos matrimonia aut sunt licita, aut interdicta. Leges has, a Summo Numine praescriptas, Leuit. XVIII. v. 6. seqq. deprehendimus. Non vacat ea, quae de iis in utramque parrem suut disputata, pluribus allegare: Interim euolui possunt B. IO. BARTHOLDI NIEMEIERI, Academiae quondam Juliae Theologi, X. de *Coniugiis prohibitis Dissertationes*, quas iunctim Helmstadii 1705. edidit. Praeter eum Summe Reuerendus D. HENR. KLAWSINGIVS, praeceptor quondam meus ad cineres deuenerandus, duas de *Nuptiis Propinquorum, iure Diuino prohibitis*, edidit Dissertationes, quibus ANDREAE HOIERI Diagramma de *Nuptiis Propinquorum, iure Diuino non prohibitis*, solide refutauit. Paucis abhinc annis CL. D. FRIDER. BENED. CARPZOVIVS Diff. de poena excisionis in incestas nuptias statuta, conscripsit, quae pariter legi meretur. Alios breuitatis studiosus intraestos relinquo. Sed istud unum non possum non annotare, has leges de gradibus prohibitis Leuit. XVIII. a Deo latas, non ad solos spectasse Judaeos, sed esse vniuersales, omnesque obligare homines, quia Deus propter abominationes, incestis nuptiis patratas, priores terrae incolas dicitur extirpasse l. c. v. 27. 28. Sane iustitiae leges transiisset ipse Deus iustissimus, si has gentes ob nuptias incestas deleuisset, si ipsae legum ignarae, aut ad eas seruandas non fuissent adstrictae. Huc pertinet etiam lex illa de matrimonii vinculo, cum vxoris defunctae forore, nequaquam necundo l. c. v. 18. Frustra proinde conqueritur A. CL. de difficulti dispensationis casu, etiam in gradibus iis, quos scriptura non prohibeat; quo eum inprimis, quem modo nominamus, perperam refert.

## §. 19.

Nec primus solum est matrimonii Auctor Deus, sed etiam directio eius in matrimoniis adhuc contrahendis sapienter versatur; a qua sapientissimi Numinis gubernatione iam tertium desumimus argumentum. Nam Salomo praeditam prudentia vxorem donum esse Domini adfirmat Proverb. XIX. v. 14. in quem locum v. JO. HENR. a SEELEN Diff. Epist. de prudentis coniugis origine

D



gine a Deo, in *Medit. Exegetic.* P. II. p. 599. seqq. Initum ab ISAACO matrimonium hanc in primis corroborat lalentiam, ex Genet. XXIV. v. 7. 14. 50. Nam Abrahamus Eliesero angelum Dei comitem promittit, Elieser Diuinum sibi expetit auxilium, & Laban ac Bethuel omnem rem a Diuina deducunt directione. cf. *Judic.* XIV. 4. *Prouerb.* II. 17. vbi matrimonium *foedus Dei* vocatur, ad quae verba B. GEIERVS ita: *Foedus, quod vxor cum marito contrahit non solum est Diuinum, ratione auctoris, qui primus coniugium hoc instituit; sed Diuinum quoque est ratione inuocati in iuramento testis, atque iudicis, quia eo inspectante, ac publice in vindicem vel confirmatorem aut patronum inuocato, coram ecclesia sancitur.* Addatur *Prouerb.* XIII. 22. Consideranda quoque sunt loca Malach. II. v. 14. Jerem. II. v. 2. Ezech. II. v. 60. &c. Quamquam enim his locis de ecclesiae Israëliticae foedere cum Deo inito agitur, loquendi tamen modis a foedere, quod pangunt inter se coniuges, desumitur. Peruerse itaque nonnulli fatum, quod matrimoniale vocant, statuant, quasi hic Deus nihil agat, sed omnia fortuio, aut ex arbitrio contrahentium, eueniant. cf. a SEELEN in *Diss. Ep. de Bono, quod in coniuge inuenitur*, ad *Prouerb.* XVIII. 22. in *Medit. Exeg.* p. 498. seqq. in primis p. 508.

### §. 20.

Et quis, quaelo, sanctitatem, Diuinamque matrimonii anchoritatem ex elegantissima non colligeret comparatione, qua vno SS. Trinitatis, in primisque Christi, mystica cum ecclesia, & cuiuslibet vera fide Seruatorem amplectentis anima, toties in codice sacro cum arcto matrimonii vinculo confertur? Hocce sensu totum CANTICVM CANTICVM venit exponendum. Pertinent etiam huc dicta Hoseae II. v. 19. 20. in primis ad Ephes. V. v. 23; seqq. quem in locum conferri merentur Dissertationes, tum B. D. SAM. SCHELGVIGII, de *Vnione Mystica Fidelium cum Christo Θεονθετω*, tum B. D. GOTTLIEB WERNSDORFFII, de *communione Fidelium cum Deo & inter se*. OBSERVATOR quidem HALENSIS l. supra c. §. 8. p. 244. istud eludere annitetur argumentum, ex hac ratione, *quia cum re-*

*rebus aliis mundanis, iisque satis vilibus, haud infrequenter in sacris literis haec comparatio facta deprehendatur. Sed vellem exemplum allegasset: Nullum enim succurrit mihi, ex quo haec eius sententia possit corroborari: Nos itaque exinde colligimus, eximiam matrimonii esse sanctitatem, nec pro ciuili tantum contractu, sed foedere Diuino, Diuinae originis ac directionis causa, esse habendum, quia sanctissimum vnionis mysterium sub hoc symbolo in scriptura proponitur.*

## §. 21.

Nec ex scriptura tantum, sed etiam ex ratione origo matrimonii Diuina & auctoritas patescit. Sui propagatio generis natura cuilibet rei est indita. Vita carentia, in primis grama, plantae & arbores semen in se tenent, quo genus propagetur. Qvo desiderio bruta animantia suum continuandi genus abripiantur, experientia edocet. Et sic etiam hominibus singularis implantatus est stimulus, atque ipsi desiderio inflammantur suam post se relinquenti speciem. Sed etiam istud hominibus praecipit natura, promiscuum omnia turbare amorem, aut congressum. Qvam in rem, suam quemuis habere vxorem iubet; Id quod adeo etiam in quibusdam animalium speciebus deprehendimus, quorum paria, matrimonio quasi inter se inuicem inito, per omnem interdum vitam, saltem satis longum temporis tractum, videmus obambulatia sive generis propagationi operantia. Multo magis hoc eadem ratio hominibus suadet. Et quam in rem Deus hominibus conversationis & consuetudinis appetitum indidisset, nisi vt tum vitae molestias emollirent, tum, quod praecipuum est, liberis post se relinquendis operam darent. Quid de officio societati humanae, ad posteros transferenda, continuanda, adaugendaque, insito naturae nostrae seu rationi, dicam? Annon hic naturae, matrimonium hominibus iniungentis, vestigia deprehendimus? Egregie IO. STOBAEVS, scriptor septimi aut octaui saeculi, gentium quidem sacris addictus, sed ita, vt inter Semichristianos merito possit referri, Sermone LXV. quo *Laudem Nuptiarum* depraedicauit, hanc in rem p.m. 410. commentatur: *κατὰ Φύσην, δὲ εἰ τι ἄλλο, καὶ τὸ γαμεῖν φάει*

νηται γν. Ἐπεὶ τὸ χάρεν ὁ τὸ ἀνθεώπως δημιουργός, πεῖτον μὲν ἔτερος δίκαια τὸ γένος ἡμῶν, κ. τ. λ. Sunt autem ἐξ nuptiae secundum naturam, si quicquam aliud. Qvam enim aliam ob causam opifex hominis, primum quidem bipartito diuisit genus nostrum &c. Et paulo post p. m. 4II. Αεχὴ δὲ οἵκει περιβολῆς, γάμος. ὡς ὁ ἀναγῶν ἐξ ἀνθεώπων γάμον, ἀναρτεῖ μὲν οἴκον, ἀνατεῖ δὲ πόλιν, ἀναρτεῖ δὲ σύμπαν τὸ ἀνθεώπειον γένος. Ως γὰρ ἀν διαμένοι, μὴ γενέσεως γόνος, γόνος ἀν γένεσις εἴη, μὴ γάμος ὄντος, πηγε δικαία καὶ νόμιμος. Nuptiae autem principium sunt constitutionis familiae. Quisquis, igitur homines nuptiis priuat, is abolet familiam, ciuitatem & totum genus humanum, quod absque generatione non potest permanere: neque iusta & legitima generatio sine nuptiis. Digna sunt reliqua, in hoc sermone de nostro arguento obvia, quae diligentissime perpendantur. Ex quibus nunc a nobis dictis, ita colligo: Si naturae principia matrimonium suadent atque commendant, hoc a Deo esse atque originem trahere, exinde elucescit, quia Deus sanctissimus est Auctor naturae, atque haec eidem principia insidit.

## §. 22.

Nec enim deest consensus, tum Judaeorum, tum gentium, a Christi sacris alienarum. De Judaeis nullum est dubium; vide duo eorum testimonia ex Sanhedrin & libro Chasidim allegata a WAGENSEILIO in Notis ad Tr. SOTA p. m. 66. vbi diserte ita: In lege, & in Prophetis, ac in Hagiographis quoque libris reperimus, Deum viro uxorem associare. cf. BVXTORFII Diff. de Sponsalibus p. 8. seq. Gentes tam praepostero non erant animo, ut τὸ οὐτον matrimonii negarent, quanquam bonam rectamque variis nugis oblitterarent sententiam. Non diffiteor, fuisse nonnullos, qui etiam peruersam in hac re fouverint opinionem. Sic MENANDER Fragment. 195. Edition. Clerici p. 256. adfirmsat, merito Prometheus Caucaso adfixum fuisse, quia considerit mulieres, quarum coniubio infelices reddantur homines. At alii meliorem lectabuntur opinionem, statuentes, matrimonium & naturae conuenire & a Diis datum esse hominibus. Qvam in rem venerantur

tur τὸν Ἡέννα Συγίνον seu Junonem coniugalem, v. CASP. BARTHIVS in Aduersariis p. 276. Venerem Suadelam, item Lucinam propterea colebant, quia rebus ad coniugium spectantibus praeesse credebantur. v. ROŠINVS in Antiquit. Rom. I. V. c. 37. p. 428. Inde ARISTOTELES I. I. Oeconom. c. 3. τῶν δὲ περὶ τῆς ἀνθρώπου ἡ κατὰ γυναικαν περίτελλε. Κοιωνία γὰρ Φύσει τῷ θέλει καὶ τῷ ἀρρενικῷ λαλισά ἐστιν, h. e. Ex iis vero, quae ad homines pertinent, prima est cura, complectens uxorem. Nam naturalis societas maxime est inter foeminam & marem. cf. JO. PHIL. PFEIFFERVS in Antiquit. Graecis p. 597. seqq. HIEROCLES de Nuptiis his vtitur verbis: "Απαν μεν γὰς ἡμῶν τὸ γένος ἔφυ πέρις κοιωνίαν, περίτελλε καὶ σοιχειωδέστα τῶν κοιωνίαν, ἡ κατὰ τὸν γάμον, εἴτε γὰς πόλεις ἕσταν, εἰνὶ ὄντων ὄμων. Omne quidem genus nostrum ad societatem natum est. Prima vero & maxime simplex est societatum ea, quae nuptiis contrahitur; non enim urbes essent, nisi domus existarent. Varia gentium praecepta, matrimonium hominibus inungentia, exhibet AEGID. MENAGIVS ad Laërtii l. X. Segm. 119. p. 470. Sed his diutius immorari nolumus.

## §. 23.

Sed vel tribus verbis argumenta Auctoris CL. perlustrabo, quibus commotus, matrimonium inter statuta retulerit humana: *Pri-*  
*mum §. 2. p. 273. contendit, opinionem hanc de Diuina matrimoniī institutione, fundamentum dedisse aduersariis matrimonium inter Sacraenta referendi. Verba eius sunt haec: Man will auch behaupten, daß Gott viele besondere Gebote in Ansehung des status coniugalis gegeben, und wären alle die praecepta, welche die Heil. Schrift in der Historia der Schöpfung vorträger, oder in denen Mosäischen Gesetzen davon befndlich, Juris naturae: Allein aus dieser primaeua institutione wird der Grund geleget, daß die Ehe ein Sacrament sey, wie denn auch der so genannte Clerus wegen seines Interesse alle Ehe-Sachen an sich gezogen ic. Posterioris sententiae, verum videlicet traditio, matrimonium esse Sacramentum, hac mitatur veritate, secundum quam defenditur, Deum illud instituisse, roburatque fundamentum primum perlustro. Nam qualis, quaeso, ar-*

D 3

gumen-



gumentatio: Qvodcunque Deus instituit, illud est Sacramentum. Atqui magistratum, Sabbatum & sexcenta alia instituit. Ergo sunt Sacra menta? Cui Auctor persuadet, tam lubrico quendam niti posse fundamento? Deinde nulla est consecutio, eam doctrinam, qua aduersarii abutuntur, esse repudiandam, et si eius veritas ex Scriptura S. satis superque elucescat. Sic sane omnes a Deo reuelatae veritates essent abrogandae, quia sere nulla est inuenienda, quin variis obnoxia fuerit abusibus. Nunc ad prius, quod A. profert, regredior. Contendit nempe, falso adfirmari, eas leges, quas in hominis creatione Deus & postea per Mosen de matrimonio tulerit, esse naturales. Sed distincte respondeo, leges in creatione, a Deo de matrimonio datas, esse naturales, nemo facile negare poterit, qui eas curatius perpendit. Sic enim omnes, e. gr. genus hominum ope matrimonii esse propagandum, auxilium a vxore marito esse praestandum, mariti esse, vxori tenacius adhaerere, matrimonium inter duos esse ineundum, &c. rationis principiis sunt conformes, ut nil supra; id quod passim iam ostendit. Quod vero ad leges per Mosen promulgatas attinet, distinguendum esse arbitror, inter speciales, & ad populum modo Iudaicum ac Oeconomiam V. T. pertinentes, (quorsum illa spectat, de semine fratri defuncto per fratrem excitando) & inter eas, quae ad omnes attinent homines. Has, posteriori loco memoratas, esse iuris naturae, nemo negare poterit. Sed ad has pertinere leges coniugales Leuitic. XVIII. recensitas, supra iam dictum est.

## §. 24.

Deinde Auctor CL. not. a. p. 272. seq. ad B. LUTHERI consensum prouocat, qui in Praefat. libri von Ehe Sachen his vtitur verbis: Es kan ja niemand lagnen, daß die Ehe ein äußerlich weltlich Ding ist, wie Kleider und Speise, Haß und Hoff, &c. Pari ratione OBSERVATOR HALENSIS l. c. §. 6. p. 241. seqq. ad hoc beati viri testimonium tanquam ad anchoram sacram configuit. Sic etenim iis, qui maxime in beatum virum de ceteris inuechuntur, vsu receptum est, ut quocunque modo verba eius, in deteriorem de-

toa-

torta sensum, ad fallas, quas fouent, opinione confirmandas, adhibeant: Sed an, quaeſo, haec duo ſunt vnum idemque: Matrimonium eſt institutum humanum, & matrimonium ad res externas & ſaeculares pertinet? Qvilibet, magistratum obire officium ſaeculare, mecum profitebitur: Interim tamen ſcriptura docet, eum a Deo eſſe institutum. Qvare etiam principum perfonae inter omnes fere gentes ſunt dicunturque ſacratiſſimae. Sic matrimonium ratione originis a Deo eſt institutum, fed ratione obiecti, circa quod verſatur, omnino eſt ordo ſaecularis, quia non ea, quae ad animam pertinent, ſeu ſpiritualia traçtat, fed ea tantum, quae huic vitae & ſaeculo ſunt propria. Male tamen exinde colliges, contractum illud eſſe tantummodo ciuilem, cuius controuerſiae in foro potius ciuili, quam Ecclesiastico, quod vocant, ſint expedienda. Nam cum legibus potius Diuinis, quam ciuilibus (quamuis hae nequaquam ſint excludendae, quia Principi varia circa matrimonium ordinare nusquam eſt prohibitum, ſi modo legibus ea non repugnant Diuinis, quibus Princeps non minus, quam alii ſubiecti ſunt homines) nitatur illud, inter contractus, quos vocant, ſacros potius referes, quam inter eos, qui ciuiles tantum audiuntur, (cf. ſupra §. II.) & rectiſſime ex more nobis recepto in foro ex perſonis ſacri ordinis, & ſaecularibus ſeu politiciſ collecto, quod nomine Principi, ceu Summi Episcopi, praecipit, expedituntur. Qvae ad versarii noſtri vſu ſunt recepta atque ab Auctore CL. obiiciuntur, nos non feriunt, cf. §. fequent.

## §. 25.

Tandem doleo, Auctorem CL. puriori coetu, a ſaecibus errorum turpisque ſuperftitionis per Lutheri operam repurgato, papatus reliquias tribuere. O quanto optarem opere, vt viri in puriori coetu prognati, qui etiam exterius eius doctrinas amplecti videntur, faltem ſe eidem afficiant, (qua mentis integritate ego non euro, ſed mortalium iudici, cuius oculi in noſtra penetrant interiora, dijudicandum relinquo), inprimis illi, qui iureiurando noſtri fidem dederunt symbolis, muneribus admoti publicis, tandem coelentes coetus noſtri veritates, ex ſcriptura laera confir-

matas, calumniari desinerent, nec toties, matrem, cuius lacte sunt innutriti, calcibus peterent! Nam male eosdem conscientiae his cauillationibus consulere, tum demum cognoscent, quando ratio nostrarum, quas suscipimus, actionum, erit reddenda. Sed quosnam papatus reliquias deprehendit culpatque Auctor? Paucis dicam: Episcopus Romanus sibi res ad coniugium spectantes vindicaui diiudicandas, & coetus purior easdem clero, quem dicunt, adhuc commisit, quae tamen ab iis tantum, qui legum peritisimi sunt ciuilium, dirimendae essent. Fateor equidem, eum nonnulla adhuc alia, sed nullius fere momenti allegare, quaeque facillime sint expedienda, E. g. in causis ad coniugium spectantibus iusurandum tantummodo pro matrimonio, nequam contra matrimonium in foro admitti ecclesiastico, v. §. 12. p. 279. seq. In hac itaque sententia a nostrisibus defensa, papatus, cui matrimonium sit sacramentum, latere reliquias, contendit. Sed utrum, quaeso, iudices a Principe in causis sacris dati, errore abrepti illo, quem dixit Auctor, iusurandum contra matrimonium admittere tergiuersentur, an potius propterea, quia matrimonium sit res sacra Diuinis fundata legibus, Diuinaque auctoritate, in cuius favorem iudici semper sit pronunciandum, quam facillime quiuis conjectura assequi potest. Qvod si posteriorem ego amplexus sententiam quoquis modo defendendam luscipio, me a scopo aberrare haud arbitror. Fateor, inquam illum haec talia allegare, quae vero facillimo refelluntur negotio. Sed tamen totum eius institutum hanc mentem, paulo ante allegaram, satis prodit, reliquias videlicet papatus in eo in primis deprehendi, quia clerus in causis, ad coniugium pertinentibus, sit iudex, quam ex verbis §. 2. p. 273. colligo, ita comparatis: Wie denn auch der so genannte Clerus wegen seines Interesse alle Ehe-Sachen an sich gezogen, und der vermeintliche Statthalter Gottes sich des Rechts in causis matrimonialibus alleine zu dispensiren, und grosse Herren sich unterwürfig zu machen angemessen hat, cf. sequent. passim. At omnes, coetui per Lutherum repurgato addicti, docent, principem esse summum in terris suis episcopum, cui externa ecclesiastica diiudicare, atque lites circa ea diri-

dirimere conueniat? Principes vero nostri collegia, ex personis sacro addictis ordini & politicis, qui iurium sunt periti, constituerunt, quorum etiam est, illa, quae ad matrimonium pertinent, dirimere negotia, quoniam lites circa matrimonium obuiæ non mere sunt ciuiles, sed mixtae, & tum leges Diuinae tum humanæ circa eas concurrunt. Haec collegia Principis nomine diiudicant, leges & edicta sub eius nomine promulgant, & quae sunt reliqua, ut sic Princeps sit maneatque iudex summus in iis, quae ad causas matrimonii diiudicandas pertinent, ita tamen ut etiam ipse legibus subiectus sit Diuinis & tantum, quod ad leges a se latas, seu ciuiles, quas dicunt, attinet, dispensare possit. Qvam ob rem nulas hic ego papatus reliquias deprehendere possum, nec facile ilias videbit aliis, nisi cui in coetum priorem est mens laeva atque peruersa.



**N**unc ad TE redeo, *VIR PLVRIMVM REVERENDE,*  
TVASque nuptias bonis prolequo verbis. Ordinem ingredieris hodie, cuius Diuinae TIBI satis superque sunt notae originēs. Semper enim mecum ex animo malesanos eorum detestatus es conatus, qui ad id sibi videntur nati esse, ut matrem, ex qua prognati sunt, conspuant. Qvorum etiam in hac, quos fouent errores, doctrina odio Vatiniano maiori nunquam non es prosecutus. Bonitatem itaque matrimonii cum vere agnoscas, omnium bene sentientium calculos TIBI promittere potes. Ego autem in votis nil magis habeo, quam ut Sumnum Numen, quod matrimonii vinculum constrainxit, atque hoc iunctis foedere suam promisit largiturque gratiam, omnis generis bona in TE TVAMque

E

spon-

Zc 1681  
AK

sponsam pleno copiae cornu effundat, quo etiam mater TVA,  
 matrona honestissima, multis pressa calamitatibus, atque adeo in  
 tenebris sedens, exinde haud paruo animi solatio recreetur, atque  
 perpetuam mentis capiat laetitiam. Quemadmodum itaque noui,  
 TE, VIR PLVRIMVM REVERENDE, semper illud IACOBI in  
 ore habere: Evidem impar sum tantis beneficiis & officiis, qui-  
 bus tu, Deus, me tuum adfecisti: Ita summa votorum meorum,  
 ex HIEROPSALTE desumpta, eo redit, vt Deus, qui teuem exci-  
 tat ex puluere, pauperem alleuat ex famo, eum inter præcipuos col-  
 locans, inter præcipuos suorum, familiam TIBI conciliet, liberos,  
 quibus mater gaudeat! Viue, vale cum TVA, meque, vt adhuc  
 fecisti, TVI amantissimum, redamare perge. Dabam e Cruciano  
 nostro, die laetitiae TVAE, d. III. Calend. Maii

X 2374364

A. O. R. MDCCXLIII.





QK.251.201  
IV Z c 1681

**DIVINAS MATRIMONII ORIGINES**  
**CONTRA**  
**EIVSDEM CONTEMTORES**  
**VINDICAT**  
**V N A Q V E**  
**VIRO PLVRIMVM REVERENDO CLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO**  
**M. EPHRAIM GOTTHELF KOECHLY**  
**FIDELISSIMO MERITISSIMOQUE IN NOVA AD DRESDAM**  
**VRBE VERBI DIVINI MINISTRO**  
**AMICO ET FAVTORI SVO QVAM MAXIME SVSPICIENDO**  
**NVPTIAS**  
**CVM VIRGINE NOBILISSIMA VIRTVTVMQVE ORNAMENTIS CONSPICVA**  
**JOANNA CAROLINA**  
**VIRI BEATE DEFVNCTI, NOBILISSIMI CLARISSIMI**  
**ATQVE DOCTISSIMI**  
**GEORGII ADAMI HERRMANNI**  
**REIPVBCLICE QVONDAM DRESDENSIS QVEM VOCANT POLIGRA**  
**PHI MERITISSIMI**  
**FILIA TERTIO LOCO NATA**  
**D. III. CALEND. MAI ANNO M DCC XLIII.**  
**FAVSTIS OMNIBVS CELEBRANTI**  
**EX AMICITIAE LEGE GRATVLATVR**  
**SEQVE**  
**EIVS FAVORI INPOSTERVM QVOQVE CONTINVANDO**  
**COMMENDAT**  
**M. CHRISTOPHORVS KRETZSCHMARVS**  
CRUCIANI CON-R  
**DRESDAE & LIPSIAE,**  
**Apud FRIDERICVM HEKEL, 1743.**


